



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 16. Quandonam deficiat fides in aliquo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

mus, qui fidei susceptæ in typo; & Hæresis, quæ<sup>”</sup>  
fidei susceptæ in veritate, repugnat. Apostasia à<sup>”</sup>  
fide revocatur ad hæresin, à qua tantum differt,<sup>”</sup>  
quod Hæresis sit error fidei ex parte tantum<sup>”</sup>  
contrarius; Apostasia vero ex toto. *S. Thom.*<sup>”</sup>  
*Laym. l. c.*

## ADDENDA.

*Q: 16. Quandonam deficiat fides in aliquo. R: Re-* 72  
jectis erroribus, dicemus, quod verum est:

§. 1. Lutherus docuit fidem amitti per quodlibet peccatum mortale, sed damnatur à *Trid.*  
*sess. 6. c. 15.* Alii putariunt, si desit charitas etiam  
deesse fidem, sic *Jansenius I. 5.* de gratia Christi *c.*  
*6. col. 5 10* ait nullam *Augustinus agnoscit fidem ve-*  
*ram atque christianam, nisi ex Dei charitate dimanet.*  
Repetit *c. 7. col. 5 16:* *nisi amor fleat hominem ad*  
*credendum, non esse veram fidem christianam.* Similia  
habent alii Doctores Lovanienses: sed *Contra est,*  
vel loquuntur de fide habituali, vel de actuali; si  
de habituali, damnantur in *Trid. Can. 28.* *si quis*  
*dixerit amissam per peccatum gratia ( : seu charitate : )*  
*similiter fidem semper amitti ; aut fidem, quæ remanet,*  
*non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum, qui fi-*  
*dem sine charitate habet, non esse christianum, anathe-*  
*ma sit.* Si loquantur de actuali, damnantur ab A-  
postolo. *1. ad Cor. 13., si habuero omnem fidem, ita*  
*ut montes transferam, charitatem autem non habuero,*  
*nihil mihi prodest.* Hinc *S. Aug. 1. 15. de Trin. c. 18.*,  
fides juxta *Apostolum* sine charitate esse potest. Da-  
mnantur etiam ab *Alex. VIII.* in hac propositio-  
ne 12: *quando in magis peccatoribus deficit omnis a-*  
*mor, deficit etiam fides ; & etiam si videantur credere,*  
*non est fides divina sed humana.* Ratio est, quia po-

test homini non habenti Charitatem evidenter proponi authoritas Dei interposita, v. g. pro Incarnatione, hic homo poterit ex eo motivo firmissimè assentiri, assensus autem ille non erit nisi fidei divinæ, cùm moveatur autoritate Dei, ergo sine Charitate potest dari assensus fidei divinæ. Idem apertè significat *Trid. c. 6.*, ubi expōnens modum, quo etiam magni peccatores disponuntur ad justificationem, dicit primò excitari ad fidem ex auditu concipiendam, tum terri metu pœnarum, deinde per spem converti ad Dei misericordiam, denique incipere illum diligere tanquam omnis justitiae fontem ergo ex mente *Trid. prius creditur*, quām diligatur Deus.

73     §. 2. Fides amittitur per peccatum infidelitatis, uti habet *Trid. c. 15.*; per infidelitatem autem communius intelligitur peccatum mortale, quod est directè contra fidem, & opponitur objecto formalī illius: Unde probabile est non amitti per ignorantiam fidei etiam crassam & affectatam, quamvis per eam peccetur mortaliter contra fidem, quia non est simpliciter infidelitas opposita objecto formalī fidei.

74     *Q: 17. An omnes actiones Infidelium sunt peccata.*  
*R: Id docuit Ians. I. 3. de gratia Christi c. 2. col. 306. probavimus fusè in præcedentibus nullum opus, quod non sit peccatum, ab infidelibus posse fieri. Idem habet c. 21. col. 306. secuti sunt Sinnichius & alii: sed Contrà est, nam inter propositiones Bajanæ damnatas à Pio V. Greg. XIII. Urb. VIII est hæc 25; omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia: Erat autem aliquorum fundamentum, quia omnis actio peccatoris est peccatum, sed inter easdem Bajanæ damnatas*

est